

F.K.  
120,  
18.

X 198323A

In  
2167

JOHANNIS DAVIDIS OPPEL,  
EQVIT. MISNICI.

ORATIO PANEGYRICA

De

FELICITATE GERMANIÆ

hujus Aevi;

ÆTERNITATI

MAXIMORUM ET POTENTISSIMORUM  
PRINCIPUM

FERDINANDI III.

AVSTRIACI,

Inviētissimi & Sacratissimi Romanorum  
IMPERATORIS.

ET

FERDINANDI IV.

AUSTRIACI,

Electi Romanorum REGIS semper  
Augusti, &c.

Scripta, Dicata, Consecrata,

RATISPONÆ

ANNO Reparatae Salutis c1o 100 LIV.

Typis CHRISTOPHORI FISCHERI.



JOHANNIS DAVIDIS OPPEL  
EQUIT. MERICI

ORATIO PANEGYRICA

De

FELICITATE GERMANIAE

hujus Aevi

ÆTERNITATI

MAXIMORUM ET POTENTISSIMORUM  
PRINCIPUM

FERDINANDI III

AUSTRIACI

Imperiali & Sacrae Romanae  
IMPERATORIS

BY

FERDINANDI IV

AUSTRIACI

Electi Romanorum Rex semper  
Augusti, &c

Scripta, Dicta, Consecrata

RATISPONE

Anno Reparatae Salutis clc 1704

Typis CHRISTOPHORI FISCHERII





UÆ SVMMA IN REBVS HV-  
manis esse felicitas solet, Reipub. salus, &  
publica tranquillitas, eam si obtinuisse tan-  
dem Germaniam nostram, tantiq; boni  
nunc maximè factam participem dixerò, id  
agam, quod mecum publica vota, & com-  
munis gratulantium consensus loquitur. Nec mihi longius du-  
cenda initia sunt, aut repetenda ex illa ætate, ubi ignota viris  
pariter ac fœminis literarum secreta, sparsa ferarum more  
per agros cubilium solitudo, incertus fictorum Numinum cul-  
tus, & superstitiosa Gentilium Deorum reverentia, quin terra  
etiam in univèrsam aut horrida sylvis, aut fœda paludibus tristi  
barbarie damnârant Germaniam. Ipsa beatiora illa, quæ con-  
secuta sunt, secula, & melior victo horrore ac truculentia veteri  
cultus felicitati hujus temporis quantum concedunt? Dudum  
est, quod magnificentissimum exteris quoq; gentibus visum  
est, Germaniam ultimam provinciarum, quæ Romanorum Im-  
perio accessêre, nunc Summi Imperij titulum Aquilamq; sibi  
habere, solamq; esse, in qua nomen & reliquæ fortunæ Roma-  
næ acquieverint. Autoritatem Principum, ordinem formamq;  
Imperij æternam, stupendas opes, totq; Constitutiones sanctif-  
simarum legum, quarum imperio Orbis regitur; quin ipsius  
etiam gentis fortitudinem invictam, elegantiam morum, litera-  
rum studia, artifices, omnia ad invidiam reliquorum nata, non  
inter privata bona temerè numeraveris. Et quod his omnibus  
satis libere fruimur, hisce temporibus, huic ætati debemus ma-  
ximè: cujus beneficio & nostra augeri egregiè, & conservari  
firmiter commoda intuemur. Felicissimi mortalium, si tam  
nos gratitudo quam fortuna non deficeret. Quæ sicut omnes  
tangit mirificè ac beat, dum publica est: ita omnium ore lau-

MOETIC

A 2

dari

dari amat, ac coli. Ego certè, ubi tam grande bonum Germania tacita mecum revolve mente, non magis sustinui impetum, ac illi solent, quos è declivi aliena vis præcipites agit. Ruedum in ejus laudes, & progrediendum fuit, quousq; tam immensi gaudij vis, & veluti sacer furor me ferebat. Hoc enim sibi persuadebat gentilium superstitiona antiquitas: Oratores suos, ubi ad pulvinaria atq; effigies Deorum de maximi alicujus momenti negotio differerent, ferri extra se, & in cœlum ire, ejusq; arcana vi, tanquam furore quodam corripit, & ad dicendum impelli. Perinde ego majore quadam raptus vi, & turbidus animi, nec æstimavi satis negotij magnitudinem, nec pensitavi ingenij modum: & satius duxi, quodvis dicere deniq;, quam festas lætitiæ publicæ voces silentio tristi corrumpere. Si parum laudis; excusationem tamen, ubi vires defuerint, vel sola pietate meriturus. Infelicissima res est, inter arma rempublice gerere, atq; ab ancipiti & communi nimis Marte incertam sibi expectare securitatem. Præterea enim, quod in amplissimas urbes, & fortissima quæq; mœnia vi ac flammis non modo, sed & in ipsos homines per crudelitatem tormentorum, stupra, & mille formas mortis sævitur: periculosissimum sane est, & cujus pernicies ad omnem etiam posteritatem pervenit, cum hostilibus exterorum armis externos quoq; mores, externa vitia invehi, hisq; nos propè faciliùs, quàm istis, debellari. Nescio enim quomodo fiat, ut quàm celerrimè sese insinuent animis talia, & quasi contagione in proximum quemq; transeant atq; pervertant. Neq; enim posueris temerè arma, ubi non mox infastæ licentiæ semina erumpant: quæ senium legum, prophanationem Juris, honesti & pulchri oblivionem passim inducant. Mota è suis sedibus regna, & fortissimas sæpè ac maximas gentes injuriâ bellorum prostratas atq; deletas commemorare,

msb.

8 A

morare,

morare, parum videri poterat sapienti: cui facilius longè est,  
perire & everti penitus, quam ad barbariem à cultu descende-  
re. Cui enim non acerbissimum afferat dolorem prima ac-  
ceptæ à Patriarchis Sapientiæ cultrix, ac, quantum ex historijs  
cognoscere licet, prima velut omnium regnorum Parens, Æ-  
gyptus? aut quem non moveat Græcia, illa famâ, gloriâ, doctri-  
nâ, plurimis artibus, Imperio etiam & arte bellica florentissi-  
ma; à qua Philosophiam & omnes ingenuas disciplinas, (hem  
quanta Imperij decora!) habuisse Romanos, maximus illo-  
rum Orator Tullius apertè fatetur? Ita scilicet illas dejecit va-  
riorum bellorum furor, ut ex tanta majestate vix aliquid præ-  
ter solam memoriam nominis, neq; hæc illis hodie, nisi ex par-  
te, & in prioris fortunæ opprobrium, supersit. Sed maximum  
omnium præsentissimumq; malum meritò dixeris, civiles mo-  
tus, & castra ex una gente contraria, parentum liberorumq;  
Sacramenta diversa, atq; subjectam adeo civium manu patriæ  
flammam. Quum enim ferocissimæ etiam bestię inter se pla-  
cidæ sint, & morfu similium abstineant, hoc uno superare cru-  
delitatem ferarum voluit homo, ut mutua laceratione sæviat,  
ipsoq; non raro impius atq; infestus petat, à quibus nutritus  
est. Quod si immane ac detestandum, quum ira privata aut  
vindiçtæ studium in mutuas cædes committit paucos, quantò  
abominandum magis ac execrandum fuerit, quum rupto uni-  
versitatis vinculo, & factò agmine per diversa partium studia, in  
innocentissimum quemq; fraternis armis desævitur. Utrumq;  
malum, quam miserè hæctenus Germaniam nostram afflixerit,  
referre prolixius, alienum lætitiâ temporis, & supervacaneum  
etiam est, quum vulnera nostra tot cicatrices testentur ac cla-  
ment. Erepta igitur tantis miserijs, & bonitate Numinis, sum-  
morumq; Principum studio à præsentis liberata exitio Patria,

B

quas

caslqi

*Pacis commoda*

quas gaudiorum, quas gratulationum, tripudiorum causas præ-  
bere potest? Si, quos ex gravi aliquo morbo recuperare pristi-  
nas vires contigit, lætari par est, & restitutam salutem plausu  
quodam testari; quid faciendum nobis erit, quibus ex com-  
muni malo, & quovis pestilentissimo morbo vehementiori re-  
spirare ad integritatem & pacem licet? Nam, quum acutissimi  
etiam morbi intra unius aut paucorum dierum subsistant per-  
niciem, hoc ipsum sua vi Imperia totasq; respub. invadit, pene-  
trat, corrumpit, evertit. Hinc Optimus quisq; semper pacem  
plurimum petiit: & maximus Imperatorum Carolus V. illâ  
nihil majus, nihil melius, nihil præstantius, in hac quidem vi-  
ta, mortalium generi posse ab immortalis Deo concedi, pruden-  
ter asseveravit. Enimvero didicerat Optimus Principum, non  
alia magis re constare imperia, quam amore & pace: salutemq;  
ac æternitatem sibi nusquam tutius promittere posse, quam ubi  
hisce firmamentis innixa quiescant. Quæ sicut sola sustentan-  
dæ tantæ moli sufficiunt, ita tam firmiter inter se cohærent, ut  
amorem sine pace, aut sine amore pacem frustra quæsieris.  
Unde enim alterutrum tibi pollicearis, ubi vis & terror omnia  
sunt? Pacem verò quum dixeris, omnia dixeris, quæ ad salutem  
publicæ rei atq; incolumitatem quam maximè pertinere viden-  
tur: concordiam cum exteris, inter suos amorem, sanctas leges,  
Justitiam integram, auctos cives, ampla commercia, securas agri-  
colarum spes, & post lætas segetes uberrimos proventus; un-  
de & tibi ac tuis prospicere abunde, & prodesse quoq; aliis  
queas. Est quidem aliquando, ubi sepositis honesti rationi-  
bus, aut præscribente leges superbo victore, contrahitur; ut  
parum ex utilitate publica videatur inita pax, & quovis bello de-  
terior æstimetur haud paucis. Et verò hoc genus mali percusso  
Cæsare, Pompejum Antoniumq; evertit haud tantum; sed  
ipsam

ipsam Romanam etiam rem afflixit pessimè atq; vexavit. Illud tamen ut ex hac nostra pace rectè timeamus, tantum abest, ut nihil illa nobis aliud, quam perpetuitatem tam augustæ felicitatis, nec perpetuitatem modo, sed amplissima ejusdem incrementa quoq; polliceri videatur. Neq; ego nunc prolixus ero in recensendis argumentis omnibus tanti boni, quum vel hæc sola integram orationem sibi postulent: & nemo non faciet mecum, spero, qui accuratius paulò perpenderit, quo profundo studio pacis, quâ utriusque partis fortunâ convenerit. Adeo non aliter de pace actum fuit, quàm quia belli tæderet: neque paria utrinq; arma alia de causa deposuimus, quàm quòd mille triumphis pulchrius duceremus, amore & quiete civium saluti consulere. Ipsa capita Sanctissimæ Constitutionis evolvere si placeat, quam illic ex recti honestiq; præscripto, quam ex communi utilitate omnia sunt! Sancitur sincerus partium amor, utq; melius illi sua constet perpetuitas, quicquid inter eas hostiliter actum hætenus fuit, æterna oblivione damnatur; ablata, aut in abusum deducta, restituuntur, compensanturq; Helvetia eximitur; Sacris etiam atq; religioni libertas conceditur: ne aut habeant alii, quod vel metueret vel queri etiam jure possent; aut diversæ opinionis severa nimis insectatio novis odijs turbisve vel occasionem vel causam præbeat. Habent sibi hoc quasi proprium graviores morbi, ut, ubi semel insederint altiùs, non primo statim impetu tollantur & eradicentur penitus; stimulum plerunq; spemq; salutis incertam relinquunt, non nisi cum tempore & longiori industria evellendi: idem in repub. accidit; quæ bellis atq; discordiis afflictæ semel ac turbata, quum reddita demum quiete & pace atrocius malum deserviit, concipere quidem futuræ securitatis votum potest ac spem, fiduciam non potest, nisi tol-

lendis prorsus simultatum turbarumq; seminibus tempus atq;  
ulterior cura accesserit. Quare, ne vel hac ex parte parum con-  
sulereetur Germaniæ, post restitutam quasi postliminio pacem,  
auctamq; egregiè, quum majus aliud bonum huic ipsi superad-  
dere vix daretur, hoc unum accedere poterat, communi consi-  
lio ipsi asserere vigorem ac perpetuitatem. Comitiam dico, illud  
summum consilium orbis terræ, quo de stabilienda hac nostra  
pace, ac exequendis illius capitibus, & si quid aliud ad consum-  
mationem nostræ felicitatis facere videatur, nunc instituitur,  
deliberatio. Cujus sicut tam sancta autoritas jam olim visa ex-  
teris est, ut nihil ex omni antiquitate cum ea conferri posse sta-  
tuerent: ita hac nostra ætate in tantum excrevit, ut omnibus  
merito admirationem atq; stuporem exprimat. Ut enim in-  
præsentiæ non dicam de tot tantorumq; Principum, tot  
Comitum atq; Baronum, tot Amplissimarum Urbium confes-  
su, quibus omnibus Summum illud atq; Deo proximum in ter-  
ris Numen, Inviçitissimus Cæsar, consilio juxta ac autoritate  
præest, omniumq; fata dispensat; ut de tot Oratorum Legato-  
rumq;, genere, sapientia, doctrina, virtute, dignitate, gloria  
eminentium cum primis atq; illustrium frequentia taceam, qui  
ex toto propemodum orbe huc confluerunt missi, ut rara pru-  
dentia feliciq; dexteritate in medium consulant, salutemq; ac  
securitatem communem ordinent atq; constituent: quid un-  
quam magnificentius spectavit orbis terrarum, quam inter  
unius reipub. Ordines Potentissimos Reges non dedignari lo-  
cum, illorumq; senatui suam autoritatem, sua suffragia pro  
communi salute conjungere; alios autem opem afflictis suis  
rebus, atq; auxilia, tanquam à communi totius Europæ tutela  
atq; præsidio flagitare. Veniat nunc aliquis ex Epirotarum  
gente Cyneas, & Regum se confessum vidisse ex antiqua illa  
Ro-



Romanorum Senatorum magnificentia & in. putudine vanâ  
persuasione existimet. Veniat, & non Regum Principumve si-  
miles; sed Principes, sed Reges videat Augustissimum hunc  
Senatum Germanici Imperij, florem totius Orbis, & partem  
meliorem humani generis constituere, atq; in Germaniæ feli-  
citatem conspirare unanimiter, operamq; conferre. Videat  
Reges non societatem, quod æquè priscis illis Romanis magni-  
ficum videbatur; sed auxilia, sed defensionem à vicinorum bar-  
barorum aut suorum etiam injuriis petere, atq; ad hoc quasi  
totius mundi Templum, Arcemq; Gentium confugere. Vi-  
deat non de parietum, luminum, aut stillicidiorum, cætera-  
rumq; rerum vilium, & quatum utilitas vix ad tertium perve-  
nit, jure; sed de Majestate Imperii æterna, de dignitate ac emi-  
nencia Ordinum, de sanctissimis reipub. legibus, ex purissimo  
Justitiæ & Æquitatis fonte, non sanguine, ut illæ Draconis  
olim, scriptis, consultare: & quum maximam pietatem con-  
servatione patriæ contineri antiquitus creditum sit, majorem  
illam ostendere, qua plus ei Majestatis plus virium quotidie af-  
feritur. Sicut enim non satis est, patrem familiæ, ubi atrocior  
tempestas desæviit, sustentare quassatas arbores, fulcire ramos,  
atq; in pristinam spem erigere; providere in posterum quoq;  
& in debilitatarum ætate aut cœli injuria vicem non modo  
substituere novas, sed illud agere etiam oportet, ut conservatas  
augeat feliciter, spemq; uberiores olim & sibi & successoribus  
relinquat; ita omnino in rep. post superatas calamitates atq;  
ruinas, non magis de restituenda illa, conservandaq;, quam  
amplificanda semper & provehenda in melius cogitandum est.  
Hinc optimo planè consilio postquam de præsentium salute sa-  
tis prospectum est, Illustrissimis illis Bavarorum, Saxonum,  
Brandenburgicorum, Palatinorum, Brunsvicensium & cætero-  
rum

rum familiis, Lockevvizio, Salmenſes, Ditrichſteinios, Amal-  
finos, Auersbergios, aliosq; plures addidimus: non minùs in  
præmium rariffimæ virtutis, atq; meritorum inſignium, quibus  
jamdudum Germanum Orbem ſibi obſtrinxerant; quàm ne  
deeffent, qui aut ſubleverent ac ſolarentur onus, ſi quos infrà  
prioris fortunæ gradum tam infandum belli malum dejeciſſet,  
aut vires etiam atq; felicitatem Imperii augerent mirificè in po-  
ſterum atq; attollerent. Unum adhuc mihi dicendum eſt,  
quod primo loco commemoraviſſem, niſi de graviffimis rebus,  
& quorum utilitas atq; gloria cæteris omnibus longè ante-  
cellit, poſtremo verba facere antiquiffimæ Oratorum ſcholæ  
præciperent. Quam multa divinitùs ſcilicet à majoribus no-  
ſtris, multa etiam hoc ſeculo inventa atq; inſtituta ſint, nihil  
præclarius aut ſubiſſe mentem hominis unquam, aut accidere  
Germaniæ, poſt tantam conſummatae quaſi felicitati meſſem,  
pulchrius potuiſſe, quàm quod inter hæc ipſa univerſalia Co-  
mitia indictum eſt Auguſtæ Electorum concilium, & divino  
beneficio ſuffragioq; communi ſuffectus Inviſiſſimi Parentis  
curis FERDINANDVS Filius, Rex. Cujus tam incompara-  
bilis boni cauſas, dum altiùs paulo mecum reputo, unde mihi  
potiffimum ejus exordienda ſit commemoratio, equidem non  
poſſum non ambigere. A deo, ut, quod aliàs accidere ſolem in-  
tuentibus ſolet, ut immenſus ille radiorum fulgor oculorum  
aciem perſtringat, atq; neſcio quas tenebras offundat lumini;  
quò illas æſtimo magis, hoc capiam minus, ferendove oneri me  
parem eſſe ſentiam. Dicendum in præſentiarum tamen eſt, ne  
illic publicæ lætitiæ feriem abrumpere videar, unde potiffimum  
ea cœpit: neq; contrahenda vela ſunt, altum ſemel ingreſſis.  
Itaq; ex quo eligi ex priſco inſtituto Romanorum Regem, atq;  
afflicte valetudinis, laborisq; immenſi ſolatium Cæſari ſubſti-  
tui

tui publica utilitas jufferat, conferibente Amplissimum hunc  
Senatum Moguntino, quo mutui amoris testimonio, quo fer-  
vore ac cura susceptum negotium est? Videor mihi adhuc cer-  
nere, quum instituenda deliberatio esset, Reverendissimum  
Principem Electorem Moguntinum vix ingressum curiam, sta-  
tim in limine provolutum in genua, & quâ est, summa devotio-  
ne ac pietate poscentem Deum, ut adsit consiliis, eamq; rem ci-  
vibus, Imperio, Ecclesiâ, Sociis etiam atq; Amicis benè ac felici-  
ter evenire jubeat: universos autem summo studio convenire,  
atq; unum Germanæ salutis desiderium, unam publicæ felicitatis  
Imperii curam afferre. Jam ipse actus Electionis ecquid non  
magnum aut admirandum habuit? Facto in Templo à preca-  
tionibus initio, (nimirum nihil ritè nihilq; providenter homi-  
nes sine Dei immortalis ope, consilio, honore auspiciari certum  
est, ab Electoribus solenni more juratur, nihil se amori, nihil  
pactis aut promissionibus, pretio quoq; duros nihil, libero  
suffragio declaratos decreturosq; esse, quis olim, post fata  
(utinam fera!) Optimi Cæsaris, Orbi terrarum cum summo  
Imperio præesse ac præsidere, quis ad publicæ rei clavum se-  
dens, Omnipotentis illius Numinis vice, nutu regere omnia ac  
moderari deberet. Mox in eadem sanctissima Aedè conclave  
petitur, ibiq; septem Principum Electorum unanimi consensu  
eligitur, quem communi voto, universæ Germaniæ, quin uni-  
versi orbis salus maximè sibi postulare videbatur. Electus vero  
in medio Electorum super aram publicè collocatur, spectandus  
omnibus, & hac sanctissima sede significaturus, non aliunde  
quam ab ipso Deo repertum palam atq; electum esse; quamq;  
pia & devota mente hanc proximam Deo potestatem, eodemq;  
loci, quem Deus tam manifestus ac præsens, quam cælum &  
sidera in seclis nobis creditur, constitutam, colere ac venerari

REX

C 2

deceat.

deceat. Multum profecto hæc poterant in spectatorum animis, non vana spe præsumendum, Optimum, simillimumque Deo Principem fore, quem tanta cum pietate, tam unanimi omnium consensu, tam communi publicæ salutis, publici boni studio, inter aras & altaria lectum constitutumq; cernerent: sed quantum accedebat illorum fiduciæ, ubi Te videbant electum, FERDINANDE AVGVSTE? Te inquam, quem non sperarent Optimum, sed scirent; non experiendum in posterum, sed utendum acciperent. Nimirum recordabantur divinam illam atq; incredibilem virtutem Austriacorum, & quandam ad amplitudinem & gloriam, & ad res maximas feliciter perficiendas divinitus adjunctam fortunam. Reputabant tot ex tua stirpe Cæsares, maximarum virtutum rerumq; gestarum memoria claros; Intuebantur præsentem Inviçtissimum tuum Parentem, Summi Imperii adhuc Præsidem: & in hoc uno, quicquid in reliquis omnibus suspicimus & admiramur. Usurpabant oculis tam venerabilem tuam formam, omnino fortunæ tuæ parem; & quo augustiorem, hoc plus trahentem de cælo: talemq; esse oportere credebant, qui à gentibus adoraretur, cui à toto orbe terrarum privata publica; vota redderentur; à quo hostes pacem, securitatem focii, cives jura, omnes salutem atq; integritatem suis rebus peterent. Mox ad tam insignes tuas virtutes conversi, quam ex iis primùm, quam potissimùm admirarentur dubitabant. Versabatur ante oculos divina illa, & vestræ Domui propria Clementia; atq; inde firmissimum Imperium, quo obedientes gaudent. Cogitabant tam rara prudentia instructum animum, æqualem constantiam, sanctam fidem, patientiam laborum inviçtam: & quicquid præterea in Maximos mortalium conferre solet Fortuna. Non ero tam iniquus æstimator virtutum tuarum, SERENISSIME  
REX,

REX, ut vel commemorari à me dignè posse crederem: qui non ignoro, nullius esse tantum flumen ingenii, nullam dicendi aut scribendi tantam vim, tantamq; copiam, quæ enarrandis illis par sit; adedò complectendis eis secula optare deberem mihi, & innumerabiles annos, & quantam Tu mereris ætatem. Hoc unum fateri liceat: omnes nostrorum Imperatorum, omnes clarissimorum Regum virtutes cum tuis nec festinata maturitate annorum, nec numero, nec magnitudine atq; perfectione posse conferri. Videtur mihi in sanctissimo Templo tuæ Electionis adstare ad aram, illud augustum tuæ Majestatis solium, Germania, læta fronte, vultu hilaris, squalore atq; fordibus omnibus exutis, jam ornatissimæ majestatis atq; decoris, ad Te tendere manus, Te Optimum Maximumq; salutare juxta atq; amplecti, novæq; ac instauratæ felicitatis æternitatem ac incrementa lætissima sibi promittere. Nec Tu, quum vivere liber solutusq; curis posses, aspernaris onus, aut ambitiosa aliqua dissimulatione deprecaris Imperium: assurgis precibus nostris, atq; Te digna magnanimitate imponi humeris tuis hanc tam vastam molem pateris, substituendus cælo novus Atlas; & tam facili tuo assensu omnibus certam spem præbes, non posse Te non benè administrare rempub., quam neque appetieris ambitu, neq; per timiditatem aut ignaviam recusaveris, sed ideo susceperis, quòd non æque ab alio sustineri eam posse scires. Quin & in Juramentum adigi non recusas; testaturus, salvum Te nisi cum repub. esse non velle: & tanquam munus aliquod non Imperium suscipiendum foret, in capita obstringeris. O Principem verè bonum, verè Optimum, qui in conservandam atq; amplificandam rempub. non modo suas tam ingentes doctes spontè conferre, sed & religione juramenti invocare Deum non dubitat, ut tum demum sibi adsit, si benè Imperium, si ex  
D suarum

suarum Constitutionum præscripto, si ex utilitate omnium re-  
xerit! O verè felicem Germaniam, cui tam sanctus tamq; bo-  
nus Princeps contigit! Et agnoscit illa hanc suam felicitatem,  
DOMINE, solvitur in gaudia, & faustis eam acclamationibus  
Tecum prosequitur. Vidisti igitur, ubi præsentandus eras po-  
pulo, non tam intrantes, quam irrupentes templum, certan-  
tesq; invicem, quis adstare Tibi proximus, quis proximus Te  
intueri ac venerari non aliter, ac delapsum cælo, donatumq;  
terris Numen, posset. Audisti avara pro tua salute vota, penè  
inferentium cælo manus; & velut uno ore acclamantes Omnes  
illud solenne, VIVAS! VIVAS! Mox templo egressum quæ  
Te publica lætitia, quis concursus civitatis comitabatur? Non  
ætas quenquam, non valetudo, non sexus retardabat, quo mi-  
nus oculos intuitu tam sanctæ tuæ Majestatis pasceret. Te  
parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes: ægri quoq;  
neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad sa-  
lutem & sanitatem prorepere. Capiebat alios desiderium  
mortis; quòd satis vixisse crederent, quibus Te vidisse Regem  
contigisset: alios metus; quod nunc vivendum maximè exi-  
stimarent, ubi tanta spes conceptæ perpetuæ securitatis, æter-  
nitatisq; Romani Imperii affulgeret. Neq; intra unius Urbis,  
licet Amplissimæ, portas continebatur publicum gaudium:  
ipso limites tam Augusti Imperii superabat fama, & longè la-  
tèq; diffusa per exteros, focijs atq; amicis gentibus gratulatio-  
nem; terrorem hostibus exprimebat, metumq; , & imperata  
faciendi votum. Ita fiebat, ut neq; matres suæ fœcunditatis  
pœniteret, quòd viderent, cui Principi, cui ætati liberos pepe-  
rissent; & ipsi infantes hoc tam ingens bonum Germaniæ in-  
nocenti voluptate, & interno tacitoq; affectu mentis præsume-  
rent: omnes autem pro tua salute cœlum poscerent, & inter  
tym-

tympanorum tubarumque sonos, inter tormentorum sclopetorumque fulgura miscerent preces, votaque conjungerent. Sed longius me rapit impetus, & dum inter commemorationem tam raræ felicitatis Germaniæ in divinas laudes Optimi Principis incido, parum abest, quin justæ orationis terminos transgrediar. Quare redeundum in viam mihi est. Et DEVM quidem, præsidem custodemque Imperii precor, venerorque ut beneficiis suis faveat, tantisque muneribus addat perpetuitatem!

Inde vero ad Te transeo, FERDINANDE CÆSAR AVGVSTE: qui omnis huius boni nobis in terris origo ac fons es. Et quum veram gratitudinem subditorum erga Principem duobus absolvi constet, piè agnoscendo beneficia, & pro ejus incolumitate vota litando ac preces (neque enim compensationem illa aliam admittunt) Tibi acceptum ferimus, quicquid in nos, boni hactenus tam abunde collatum est. Tibi non aras aut templa, ex ambitioso instituto veterum, dedicamus: vitam Tibi, CÆSAR, Tibi pectora nostra offerimus. Cætera enim, opes, fortunæ, fama, omnia tua sunt: & nos quoque sumus tui; quandoquidem per Te talibus esse licet. Principi alicui ex Romanis Senatoribus viro nullum ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusve videbatur, quam illa corona, OB CIVES SERVATOS. Tibi non unam coronam, sed plures debemus, AVGVSTE: neque enim Cives, sed Imperium, sed Germaniam, sed Omnes servasti. Tu, cum afflictam & concussam varijs motibus Germaniam regendam acciperes, restaurasti. Tu, postquam armis satis feliciter tutatus Imperium es, sponte illa deposuisti: ut non minorem in pace Principem, quam in bello Imperatorem Te ostenderes. Tu restitutam concordiam & pacem mirifice confirmasti. Tu certam spem liberorum parenti-

parentibus, viris matrimoniorum, dominis patrimonii, omnibus hominibus salutis, quietis, tranquillitatis, reddidisti: adeò, ut nec plus sperari possit in præsentiarum, nec spei responderi feliciùs. Magna profecto hæc tua laus, INVICTISSIME CÆSAR; sed major adhuc illa, quæ ex Filio Tibi accedit, gloria est. Namq; quum alii ex arrogantia sævitiaq; successorum deterrima comparatione sibi laudem quæsiverint, Tu talem esse Filium voluisti, quem dignum summo Imperio Orbis eminentia virtutum & divinus animus facerent: atq; ex quo olim Te æstimarent posteri; non difficili conjectatione, quum Optimos non nisi ab Optimis nasci constet. Itaq; cæteræ tuæ laudes, celebrabuntur illæ quidem non solum nostris, sed pene omnium gentium literis, atq; linguis; neq; ulla unquam ætas de tuis laudibus conticescet: at verò hanc tuam ex Filio gloriam in eo posteritas præsentem intuebitur, laudibus præsentem efferet, & tuam pietatem, tuam clementiam, cæterasq; divinas virtutes, in Filio superstites, mirabitur & adorabit. Adeò nemini unquam argumentum deerit, de Majestate tua differendi: quum nihil Tibi ad perfectionem virtutis & gloriæ desit. Ibit in secula fama Tui Nominis, & TE PIVM, FELICEM, INCLITVM, INVICTVM, PACIFICVM, TE PATREM PATRIÆ, TE LOCVPLETATOREM AC INSTAVRATOREM ORBIS TERRARVM, TE PARENTEM GENERIS HVMANI, seris nepotibus tradet. Neq; nostra pietas deerit: quorum maximo bono hæc omnia præstas. Felices enim tuo Imperio sumus. Quòd Imperio manet antiquus splendor, antiqua majestas, tot internis malis, tot exterorum insidiis atque aggressionibus illæsa, Tibi debemus, FERDINANDE. Quòd post gravissimas bellorum ærumnas pace ac quiete fruimur, Tibi debemus, FERDINAN-



DINANDE. Quòd his ipsis Comitibus integras auctasq; miri-  
ficè nostras res, quod priori ampliorem Imperii dignitatem cer-  
nimus, Tibi debemus, FERDINANDE. Quòd in Augusto  
tuo Filio Rege aeternitatem nobis atq; incrementum tantæ no-  
stræ felicitatis securè promittimus, Tibi debemus, FERDI-  
NANDE. Tibi salutem, Tibi vitam, Tibi fortunas nostras,  
Tibi omnia debemus, FERDINANDE: Te DEO, Hic  
Te nobis dedit. Hic Te servet, custodiat, protegat, perpetuet!  
Hic mala prohibeat: quæ Te Imperatore non timeamus; de  
quibus Te Cæsare securi sumus! Nam bonum imperium nulla  
vis lædit. Tibi fortunam, Tibi de nostris annis vitam, Tibi sa-  
lutem precamur: tua enim salus nostra salus, CÆSAR, est.  
Vivas FERDINANDE! DEVS Te servet! FELICIOR  
AVGVSTO, MELIOR TRAJANO, quam diutissimè impe-  
res: functusq; statione mortali non alium successorem habeas,  
quam eum, quem Optimum ex Te Tibi destinavimus! Salvus  
esto, CÆSAR! Esto incolumis! Et salva patria, salvi cives, sal-  
vum Imperium, salva erit GERMANIA.

EX T/2/17

DIANDE. Quod his ipsa Comitibus integras auctasq; dicit.  
fide nostras res, quod p[ro]p[ri]a ampliora imp[er]ii dignitate cer-  
nimus, Tibi debemus FERDINANDE. Quod in Augusto  
no Filio Regis accitiam nobis atq; incrementum caris ho-  
fir felicitas leare promittimus, Tibi debemus, FERDI-  
NANDE. Tibi saltem Tibi vitam, Tibi formam nostras,  
Tibi omnia debemus, FERDINANDE: Te DEO, Hic  
Te nobis dedit. Hic Te laetaver, custodias, protegat, perpetuet.  
Hic mala prohibeat; per Te imperatore non timentus; de  
quibus Te Cesare fecit sumus. Nam bonum imperium nulla  
vis laedit. Tibi formam, Tibi de nostris annis vitam, Tibi sa-  
ltem precamur; tua enim salus nostra salus, CAESAR, est.  
Vivas FERDINANDE! DEVS Te servet, FELICIOR  
AVGVSTO, MELIOR TRAJANO, quam divitiis impo-  
res: sanctusq; ratione morali non alium successorem haberes  
quam cum, quem Optimum ex Te Tibi destinavimus! Salvus  
esto, CAESAR! Ego incolamur, Te salva patria, salvi cives, sal-  
vum imperium, salva erit GERMANIA.

W.A.

mc



rum famili  
 finos, Aue  
 præmium r  
 jam dudum  
 deessent, q  
 prioris fort  
 aut vires et  
 sterum atq  
 quod prim  
 & quorum  
 cellit, post  
 præcipere  
 stris, multa  
 præclarus  
 Germaniæ  
 pulchrius p  
 mitia indi  
 beneficio fe  
 curis FER  
 bilis boni c  
 potissimum  
 possum non  
 tuentibus f  
 aciem perst  
 quò illas a  
 parem esse  
 illic publica  
 ea cœpit: n  
 Itaq; ex que  
 afflicta val  
 mui



itrichsteinios, Amal-  
 imus: non minùs in  
 m insignium, quibus  
 rinxerant; quàm ne  
 r onus, si quos infrà  
 elli malum dejecisset,  
 gerent mirificè in po-  
 mihi dicendum est,  
 de gravissimis rebus,  
 omnibus longè ante-  
 æ Oratorum scholæ  
 cet à majoribus no-  
 instituta sint, nihil  
 quam, aut accidere  
 asi felicitati messem,  
 ipsa universalia Co-  
 ncilium, & divino  
 Inviçtissimi Parentis  
 ujus tam incompara-  
 reputo, unde mihi  
 oratio, equidem non  
 as accidere solem in-  
 am fulgor oculorum  
 as offundat lumini;  
 ferendove oneri me  
 iarum tamen est, ne  
 ear, unde potissimum  
 tum semel ingressis.  
 norum Regem, atq;  
 latium Cæsari substi-  
 tui

